



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Triplici conclusione vera sententia statuitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

hominem, sine ullo auxilio speciali gratiae, posse omnia peccata mortalia contra legem naturae vitare. Ita Scotus, Gersonius & Durandus, articulo precedenti citati. Secunda docet hominem lapsum diu non posse vitare omnia peccata mortalia contra praecepta naturalia, sine auxilio gratiae ordinis naturalis, scilicet quandam bonam cogitationem, bene tamen sine gratia habituali & sanctificante. Ita Vazquez hic disp. 196. cap. 3. Tertia ad hoc non solum requirit gratiam auxiliantem, sed etiam sanctificantem & sanantem naturam. Ita D. Thomas hic art. 8. & tertio contra Gent. cap. 160. & de verit. qu. 1. art. 24. art. 12. ejusque Discipuli: licet Cassianus in commentario hujus articuli dicat hominem lapsum, qui nescit se esse in peccato mortali, neque afficitur ad illud, non per se, sed per accidens, ex ignorantia invincibili, posse diu vitare peccata mortalia.

§. I.

Triplix concessio vera sententia statuitur.

285 **D**ico primo: Homo in statu naturae lapsae non potest ex viribus naturae diu vitare omnia peccata mortalia, quae sunt contra legem naturalem.

Hac conclusio in primis probari potest ex supra dictis: Nam, ut ostendimus articulo precedenti, homo lapsus non potest ex viribus naturae diu implere totam legem naturalem: Ergo neque diu vitare omnia peccata mortalia contra legem naturae. Consequentia patet: Ideo enim homo peccat, quia non implet praecepta: Ergo si non potest diu propriis viribus servare totam legem naturalem, neque poterit ex eisdem diu vitare omnia peccata mortalia contra legem naturae.

286 **C**onfirmatur: Si homo lapsus posset propriis viribus vitare omnia peccata mortalia contra praecepta naturalia, ex eisdem posset Deum auctorem naturae super omnia diligere dilectione efficaci: Sed hoc non est dicendum, ut art. 4. probavimus: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet: Nam qui vitat omnia peccata, propter nullum recedit à Deo, & per consequens amat illum super omnia dilectione efficaci.

287 **D**einde suaderi potest conclusio ratione D. Thomae hic art. 8. & 3. contra Gent. cap. 160. Homo in statu naturae corruptae habet multa, tam intrinseca, quam extrinseca, provocantia ipsi ad peccandum, nimirum rebellionem appetitus, tentationem demonum, & societatem pravorum hominum, qui suis exemplis & consiliis inducunt nos ad peccatum; & aliunde corruptio corporis terreni, & distractio circa res mundanas, & ad vitam necessarias, impendit continuam vigiliam & attentionem mentis, juxta illud Sap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitationem? Ergo non potest viribus suae naturae, & sine auxilio gratiae resistere omnibus, atque adeo nec vitare omnia peccata mortalia.

Dico secundo: ut homo in statu naturae lapsae diu vitet omnia peccata mortalia, quae sunt contra legem naturae, non sufficit auxilium supernaturale transiens, quod per modum motionis confertur, sed requiritur etiam gratia justificans: unde homo in mortali existens, peccata diu vitare non potest.

288 **H**ae conclusio probatur in primis iisdem testimoniis & rationibus, quibus consimilis assertio de observantia praeceptorum naturalium

A probata est articulo precedenti. Deinde suadet ratione D. Thomas hic art. 8. quae sub hac forma proponi potest. Ut homo possit diu vitare omnia peccata mortalia, necesse est quod habeat cor suum firmatum in Deo, ita ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando, ab eo separari velit: At qui est in peccato mortali, & gratia ac charitate privatus, non habet cor suum hoc modo firmatum in Deo, sed ab eo potius aversum, & conversum ad creaturam tanquam ad ultimum finem: Ergo omnia peccata mortalia diu vitare non potest. Minor patet: Major vero dupliciter à D. Thoma probatur. Primo à similitudine enim inferiori appetitu non totaliter subiecto rationi, non potest fieri quin contingant motus inordinati in ipso, & in hujusmodi motibus peccata venialia, ita etiam ratione non subdita Deo, & non firmata in illo tanquam in ultimo fine, non potest fieri quin multa contingant inordinationes, & peccata in ipsis actibus rationis. Unde Prosper lib. 5. de vocat. gent. cap. 2. *Voluntatis mutabilis quae non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius appropinquat iniquitati, quanto citius intenditur actioni.*

289 **S**ecundo probatur eadem Major ratione: cum enim in hac vita multa occurrant mala quae formidamus, & bona delectabilia ad quae allicimur, nisi homo habeat cor suum firmatum in Deo, recedit ab eo propter consequenda bona, vel mala vitanda, contemnendo praecepta ipsius, & peccat mortaliter.

290 **C**onfirmat hoc D. Thomas, ex eo quod in repentinis homo operatur secundum finem praeconceptum, & secundum habitum praexistentem, ut dicit Philosophus 3. ethic. cap. 8. Ergo qui non habet cor suum firmatum in Deo, sed ab eo aversum, & ad bonum commutabile conversum, eligit quod est consonum fini quem habet. Haec consequentia patet: nam mens communiter eligit illud ad quod homo magis inclinat, nisi per discursum & praemeditationem rationis ab illo fine abducatur per contrariam sollicitudinem: unde cum hanc sollicitudinem habere continuè sit impossibile, & non possit homo semper esse in tali praemeditatione, non potest etiam diu permanere, quin operetur secundum inclinationem voluntatis deordinatae à Deo, nisi citò per gratiam & charitatem ad debitum finem reparetur, ut constat exemplo ipsius Davidis, qui commisso adulterio, statim addidit homicidium. Unde D. Gregorius homil. 11. in Ezechiel. *Peccatum quod mox per poenitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud.*

291 **C**onfirmatur amplius, & magis illustratur haec ratio: In peccato mortali duo sunt, nempe aversio à Deo, & conversio ad creaturam, & ratione utriusque peccator fit impotens ad diu vitanda peccata mortalia. In primis enim sicut homo conversus ad Deum, & ipsi per gratiam & charitatem conjunctus, habet cor ita in eo firmatum, ut pro nullo bono consequendo, aut malo vitando, ab eo separari velit, ita qui est ab illo per peccatum aversus, habet voluntatem adeo instabilem & mutabilem (utpote separatam ab eo qui summe unus & immutabilis est) ut facile ab uno peccato in aliud cadat. Deinde cum quilibet creatura sit multis defectibus & vicissitudinibus obnoxia, fieri non potest quin volutatis ei ut ultimo fini adherens, vicissitudini & mutabilitati pariter obnoxia sit, & saepe una creaturam deserat, ut ad aliam se convertat, sicque nova peccata faciat.

peccat. Unde Thren. i. dicitur: Peccatum peccavit Jerusalem, & ideo in stabili facta est. Hinc etiam Chrysostomus in cap. 11. Matth. comparat peccatorem navi malo, velis, & gubernaculo destituta, quæ certissimè naufragio exposita est, & quæ fertur, non quò nauta eam dirigit, sed quò ventorum & procellarum impetus eam impellit.

Dico tertio: ut homo iustus diu abstineat à peccatis mortalibus, præter gratiam habitua-lem, seu iustificatam, indiget speciali Dei auxilio.

Probatur primo ex concilio Arausicano 2. can. 10. ubi dicitur: Adjutorium Dei etiam renatis & sanctis semper esse implorandum, ut ad bonum finem pervenire, & in bono opere perdurare. Quibus verbis decernit Sacra Synodus, necessarium esse speciale auxilium homini iusto, nedum ad perseverandum finaliter, sed etiam ad perdurandum in operibus bonis per aliquod tempus notabile, subindeque ad abstinendum diu à peccatis mortalibus.

Probatur secundo ex Augustino de natura & gratia cap. 26. dicente: Sicut oculus corporis plenissimè satur, nisi candore lucis adiutus non potest ceruere, sic & homo, perfectè simul etiam iustificatus, nisi æternæ lucis iustitiæ divinis adiuvetur, rectè non potest vivere. Et lib. de Eccles. dogmat. cap. 24. ait: Neminem etiam baptisum gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Perseverantia autem nomine, non solum eam quæ est usque ad finem intelligit, sed etiam illam quæ quis per multum tempus sine peccato perseverat, nec enim etiam posse dici perseverantiam docet idem S. Doctor libro de bono persever. cap. 1.

Probatur tertio ex D. Thoma hic art. 9. ubi docet hominem in gratia constitutum, ad bene operandum, & vitandum peccatum, indigere auxilio Dei, non solum ex ratione generali quæ omnis creatura in omni suo actu indiget moveri à Deo (quo loquendi modo infirmat necessitatem auxilii generalis, quod, etiam ex communi ratione creaturæ, gratia habitualis conaturaliter exigit) verum etiam speciali ratione, de sumptæ ex conditione Patris naturæ, etiam post ablationem peccati. Nam licet (inquit S. Doctor) sanetur per gratiam quod ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Roman. 7. Remanet etiam quadam ignorantie obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur ad Roman. 8. quid oremus oportet nescimus &c.

Denique suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Gratia in hoc statu viæ imperfectè participatur ab homine iusto: Ergo ut per illam possit diu bene operari, & vitare peccatum, indiget auxilio speciali Dei. Antecedens explicatur observando cum Conrado hic art. 9. quod gratia viæ triplicem habet imperfectionem, per comparationem ad gratiam patriæ. Prima est in modo operandi: nam gratia patriæ semper causat actualem amorem Dei, non gratia viæ, propter quod dicitur Matth. 11. quod quilibet beatus, quantumvis minimus, maior est Joanne Baptista, scilicet quantum ad modum operandi, quia Joannes non semper actu amabat Deum, licet beatus: de quo vide Bannem 2. 2. quest. 24. art. 7. subio 3. Secunda est, quod gratia victoris,

Tom. IV.

quantumvis intensè, de lege ordinaria non sanatur perfectè appetitum, sicut gratia beatorum. Tertia est, quod non perficit rationem ut infallibiliter inhereat divinæ regulæ, sicut gratia patriæ. Consequentia verò probatur: Hæc est differentia inter gratiam quæ perfectè habetur, & illam quæ imperfectè participatur, quod habens primam, cum solo generali concursu illi proportionato, potest per illam operari, non verò habens secundam saltem diu & regulariter, nisi specialiter moveatur ab eo qui habet plenè talem formam: sicut Sol, quia est perfectè lucidus, potest per se illuminare, cum generali Dei concursu luna verò, quia imperfectè participat lucem, indiget præterea illustratione actuali Solis. De quo vide D. Thomam supra quest. 68. art. 2. Ergo si gratia sanctificans imperfectè participatur ab homine iusto in hoc statu viæ, non potest per illam diu operari bonum, & vitare peccatum, sine speciali illustratione & auxilio Dei, cuius est ipsa gratia.

S. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò contra primam conclusionem: Homo lapsus potest ex viribus naturæ adimplere singula præcepta naturalia: Sed datur præceptum naturale non peccandi absolute, siue nullum peccatum committendi, ut colligitur ex illo 1. Joan. 2. Hæc scribo vobis, ut non peccetis: & ex Psal. 36. Declina à malo, & fac bonum: Ergo homo lapsus potest ex viribus naturæ vitare omnia peccata moralia, quæ sunt contra legem naturalem.

Respondeo primò negando Majorem: Nam ut præcedenti articulo diximus, dantur aliqua præcepta legis naturæ, quæ homo sine gratia adimplere nequit, ut præceptum dilectionis Dei ut authoris naturæ, præceptum servandi castitatem urgente gravi tentatione, &c.

Respondeo secundo, datà Majori, negando Minorem: existimo enim cum Curiele non dari speciale præceptum legis naturalis, obligans ad observandum totam collectionem præceptorum ejusdem legis: cum enim non possit observari tota hæc collectio, nisi per particulares impletiones singulorum præceptorum, frustra ponitur præceptum observandi totam collectionem, quod sit speciale & distinctum à singularibus præceptis, obligantibus ad particulares adimpleriones sibi respondententes. Nec obstant Scripturæ testimonia in objectionem adducta: nam ex priori solum colligitur non esse peccandum per violationem alicujus præcepti particularis; & ex posteriori declinandum esse à malo, servando singula præcepta.

Respondeo tertio, quod etsi daretur tale præceptum, non sequeretur hominem lapsum illud ex viribus naturæ adimplere posse: quia licet propriis viribus possit implere singula præcepta naturalia, quæ non includunt virtualiter impletionem omnium, non tamen quæ virtualiter eam continent, quæ ratione supra art. 4. diximus hominem lapsum non posse ex viribus naturæ præceptum dilectionis Dei super omnia observare: præceptum verò non peccandi contra præcepta naturalia, licet esset singulare, virtualiter tamen omnium aliorum præceptorum naturalium observationem contineret.

Obijciens secundo contra secundam conclusionem: D. Thomas in 2. dist. 28. quest. 1. art. 2. sic ait: Peccatum committendum potest homo vitare etiam sine gratia, quantumvis in peccato mor-